

dicta ulterius procedant et magis insenescant, sed dignetur pro solita sua pietate et studio in rem christianam proque sue M<sup>us</sup> nec non ill<sup>mi</sup> filii honore et illorum nominis exaltatione et perpetua ac immortali gloria prospicere salutem, honori et glorie ipsius ecclesie Dei et illius incremento, que in dies labefactari videtur, nisi celeriter et opportunis remediis prospiciatur ab eius imperiali M<sup>te</sup> per convocacionem concilii, adeo necessariam, ab omnibusque christicis expectati et futuri sue Cesaree M<sup>ti</sup> gloriosi, quod magis esse non posset; quod quidem concilium (ut novit eius imperialis Cels<sup>us</sup>) vocari debet per decretum Constantiense de decennio in decennium et diu est ex quo non fuit congregatum, cuius congregatio hac vice fieri debet in Germania; et ita quo studiosius poteris conaberis inducere eius M<sup>tem</sup> cum omnibus illis rationibus et suasionibus quas pro tua sapientia scies adducere, allegando preter gloriam sue M<sup>us</sup> beneficia et proficua etiam que recipiet ecclesia Dei et universa christianitas ex ipsa convocacione, e diverso autem inconvenientia, scandala et pericula que quotidie magis crescent, futura irremediabilia, ni cito opportune ut supra occurratur, in quo offeres omnem opem et favorem nostrum quantum in nobis erit; et pro hoc voto nostro ab omnibus christicis optatissimo et pernecessario obtinendo, nihil penitus diligentie et studii omittes, ut in ea re que est potissima totius tue legationis, sicuti in tua virtute confidimus. Et quando forte Cesarea M<sup>tas</sup> vereretur ne, postquam sese ad huiusmodi convocacionem concilii detegeret, nos in casu quo pontifex vellet se reconciliare nobiscum desisteremus ab ipso concilio, sicuti promovit r<sup>idus</sup> d. episc. Forliviensis, affirmabis amplis verbis, quod si cum effectu indictum fuerit ipsum concilium nos in omnem eventum sumus firmiter et constanter permansuri in hoc proposito dicti concilii, quoniam id non facimus ulciscendi causa neque propter aliquod odium, sed solum ducti zelo fidei christiane et desyderio conservationis bonique regiminis et gubernationis ecclesie Dei, sicuti semper zelantissimi fuere cuncti maiores nostri.

Si prefata Cesarea Maiestas vellet explorare mentem nostram ubi fieri huiusmodi congregationem malemus concilii, dices quod ubicunque placuerit sue imperiali Cels<sup>us</sup> erit nobis gratum. Verum nobis videtur quod pro omni bono respectu et pro dignitate sue M<sup>tas</sup> melius expediet et conducet, ut vocetur et congregetur ibi in Alemania, in illo loco qui aptior, commodior et fidelior sibi videatur.

Quoniam, sicuti putamus te non latere, civitas Castellum est locus imperialis, et conducit rebus nostris ut conservetur, poteris captata opportunitate, de ipso loco cum dexteritate aliquod verbum facere M<sup>ti</sup> imperiali et declarare quomodo pontifex nunquam illum vexare desistit.

Notum est tibi, Nos cum iusticia tenere castella nuncupata Mochon et Castrum novum prope Tergestum que capta, dum essemus in iusto bello cum comunitate tunc Tergesti ad quod lacessiti et provocati devenimus, remanserunt nobis cum bono consensu et voluntate eiusdem comunitatis per pacem et concordiam quod secum fecimus